



Piet. 4^o 17

Duorum Theologorum
Celeberrimorum,

DN.

D. CHRISTOPHORI
SONNTAGII,

SS. Theol. Profess. Primarii & Antistitis Altorfni,

&

DN.

D. SAMUELIS SCHEL-
WIGII,

SS. Theol. Prof. & Pastoris Gedanensis,

Brevis & Solida

CONFUTATIO

Doctrinae de Termino Gratiae Peremptorio,

ex ipsorum

Scriptis nuperrime editis,

Illius sc. *Animadversionibus in Fanaticismum,* & hujus *Synops*

Controversiarum

excerpta.

Anno 1701.



D. Christophorus Sonntag

In Animadversionibus Miscellis in Fanaticismum tam veterem quam recentiorem Art. de Pœnitentiâ

§. 68. 69. & 70. p. 61. seq.

IN verba Confess. Aug. Art. XII. (quod lapsis post Baptismum contingere possit remissio peccatorum quocunq; tempore, cum convertuntur) instat commentarii esse possunt, quæ B. Dn. Fabricius noster Praelect. Theolog. pag. 621. scripsit: Sicut, inquit, qui est in gratia constitutus, potest ea excidere, & consequenter etiam æterna privari gloria, si non resipiscat ante finem vitæ: Ita contra, cui subtracta est divina gratia, potest alio tempore ejus iterum compos fieri, sique in ea permanserit, prædestinatus esse ad gloriam, **NEQUE ENIM PER REJECTIONEM A GRATIA ID DENOTATUR, QVOD OMNINO OMNIS GRATIA AVFFERATUR AB HOMINE:** quippe incredulos etiam & immorigeros ac malos Deus magna patientia tolerat Rom. IX. v. 22. subinde vocat ad se per verbum Es. LXV, 2. Matth. XXII, 3. 4. & **GRATIAM ILLIS SVAM, CVJVS OPE CONVERTI ET SALVARI POSSINT, OFFERT ETIAM NVM, AC CONFERRE PARATVS EST, SI PER EAM CONVERTI ET SALVARI IPSI MODO NON RENVANT** Matth. XXIII, 37. Luc. XV, 4.

LXIX.

Sed (pergit *o uana estis*) dicitur Deus homini subtrahere gratiam suam tum, quando nolentem converti per eam ad fidem & pietatem, relinquit in incredulitate & impietate sua Matth. XI, 25. Actor XIII. 45. 46. vel à gratia semel accepta deficere volentem permittit deficere Luc. VIII, 13. 2. Tim. IV, 10. & quosdam insuper de uno peccato prolabi in aliud Pl. LXXXI, 13. Rom. I. 28. 29. excœcari ac indurari Es. VI. 10. Joh. XII, 40. Quod ubi fit, **TAMETSI HOMINI ISTIVSMODI NON INTERCLVSA OMNIS PENITVS VIA SIT AD CONVERSIONEM ET SALVTEM, CVM EORVM ETIAM, QVI IN REPROBVM SENSVM DATI FVERE, ALIQVOS CONVERTI CONTINGAT,** 1. Cor. VI. 9, 10. 11. Tit. III, 3, 4, 5. multo tamen, quam ante, difficilior evadit conversio & salutis consecutio. Quæ difficultas, **REMOTA SIMVL IMPOSSIBILITATE,** struitur à Paulo 2. Tim. II, v. 25, 26.

LXX. Con

Consonant, quæ idem affert Homil. ad art. XII. Aug. Conf. & Exe-
 ges. Ezech. XXXII, 11. -- 16. pag. 217. ajens: Gott nimmt keine Perso-
 son aus/ wenn und wie oft der wiederkehrende Sünder soll angenom-
 men werden. Es soll einem jeden allezeit in diesem Leben die Gnaden-
 Thür offen stehen. Hæc constans Academiae & Ecclesiae nostratis est do-
 ctrina. Sic Lutherus Art. Schmalc. part. 3. Tit. de falsa pœnitentia Ponti-
 ficiorum, ad Paulinum illud actor XVII. Nunc Deus annunciat homi-
 nibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, graphice commentatur:
 Omnes, dicit, nemine excepto, qui modo homo est. Quæ cum ita sese ha-
 beant, nuntium mittere par est docentibus, Deum hominibus induratis an-
 te mortem terminum gratiæ peremptorium fixisse, seu, quod eodem recidit,
 præclusisse ipsis ante mortem gratiæ revocatrici januam. Neque enim isti
 possunt, quin 1) incredulitatem finalem ante finem vitæ homini tribuant,
 2) hominis miseriam ante mortem majorem esse, quam Dei misericordi-
 am statuunt, cum tamen hæc sit *ἡ ἐπιπέρας σου*, & vel in agone infini-
 ta Rom. V. 20. Thren. III. 21. 23. cumque post mortem demum instet ju-
 dicium Hebr. IX, 27. & excisio arboris in morte demum fiat Matth. III, 10.
 3.) ex gratia (tum ratione subjectorum, tum ratione temporis) universali
 particularem faciant; 4) oblationem mediæ salutis voluntati conse-
 quenti assignent, adeoq; voluntatem Dei antecedentem omnino tollant; 5.)
 tentatis & agonizantibus ad desperationem fenestram aperiant; 6) subje-
 ctum inconvertibile, & tamen verbo ministerii externo convertendum, con-
 jungant; 7) Deum induratis ejusmodi hominibus sub pœna gehennæ præ-
 cipere pœnitentiam & in his tamen nolle operari pœnitentiam
 autument; 8) fœdus Baptismale, quod ab hominibus frangitur,
 etiam ex parte Dei irritum invalidumque reddant. Unum hic
 objectant secus sentientes, hominibus per hanc doctrinam de gratia fene-
 stram ad securitatem patefieri. Sed pridem dilutum ex asse fuit hoc dubi-
 um. Abusus quippe hujus doctrinæ minime omniam tollit doctrinam i-
 psam in se spectatam, & verbo Dei consentaneam, nisi si veram quoque de
 justificatione doctrinam ob multijugum & frequentissimum ejus abusum
 è medio sublatam velimus. Judicium Dn. Corvini lib. cit part. ult. p. m.
 397. hujus est tenoris: Und sehe ich nicht/ wie dieselbe (Meinung de termi-
 no gratiæ revocatrici peremptorio) sich könne von dem Verdacht der
 Gotteslästerung entledigen/ indem sie der unendlichen Barmherzigkeit
 Gottes gleichsam gewisse Schranken setzet/ und dem allertheuesten
 Bluth und vollgültigem Verdienste Christi seine unumschränckte Krafft
 benimmt/ und dieselbe an eine gewisse Zeit und Stunde gleichsam bin-
 den will/ nach deren Verfließung es bey dem Sünder nicht mehr wür-

offen könne oder solle. Apol. A. C. p. 18. Si quis non statuit sibi ignosci, is negat Deum verum jurasse: qua blasphemia nulla atrocior excogitari potest.

D. Samuel Schelwig.

In Synopsi Controversiarum sub Pietatis pretextu motarum

Art. XXIV. quest. p. 223.

An Evangelium peccatoribus, etiam contumacibus, & induratis, ut per oblationem gratia emoluantur & convertantur, predicandum sit?

Affirm. Quia (1) ex mandato Christi & praxi Apostolicâ Evangelium predicandum est omni (rationali) creature, Marc. XVI. 15. *que sub cælo est*, Col. I. 23. (2) Evangelium Legi ubique conjungi jubetur, Luc. XXIV. 47. Add. Matth. XIII. 52. cum glossâ Lutheri marginali. (3) Nisi Evangelium adjungatur, ex solâ Legis prædicatione, nemo convertitur: id quod pluribus demonstratum est in Qu. I. (4) Huc spectant, ex Libris Symbolicis, verba Apologiae Art 3. p. 118. *Totius jam diximus, ad prædicationem Legis oportere addi Evangelium de Christo, p. 119.* Male confitentur conscientis, qui Legem ita docent, ut Evangelium de Christo obruant, p. 124. *Doctrina Legis (sine addito Evangelio) est doctrina desperationis: Et Form. Concord. Art 5. p. 713. Ad salutarem & veram penitentiam non sufficit Legis prædicatione: sed accedere oportet Evangelion. Hoc modo duo hæc doctrinarum genera conjuncta sunt & ambo urgenda sunt.* Add. p. 716. (5) Propter Evangelii peccatoribus destinati annunciationem, præcipuè constitutum est Ministerium N. T. Rom. I. v. 1. seq. 9. Gal. I. 16. 1. Tim. II. 6. (6) Ut proinde nomine Ministri Evangelici indignus, neglectarumque animarum reus sit, qui propter peccatores, quorum multitudo prætenditur, aut solam Legem, aut Evangelium segnius vel rariùs, quàm Legem, tractat: cuius facti quantâ poenitentiam Johannes Augustus Lintzheimerus fuerit ductus, ex Historiâ vitæ ejus, notatu non indignâ, patet. Excerpta inde, ex Speneri Conc. Funebr. P. 2. adducuntur in Piet. Sect. Art. 14. n. 15. p. 28. (7) Legatur etiam Præfatio Lutheri in Epist. Jacobi, ex quâ videre est, quanto intervallo prædicator Evangelii antecedit prædicatorem Legis. Add. 2. Cor. III. 7. 8. Objicitur (1) Peccatores, quales descripsimus, nondum sunt capaces gratiæ recipiendæ. Ergò illis non predicandum est Evangelium, utpote concio gratiæ. Resp. negando consequentiam. Ideo enim talibus Evangelium prædicatur, ut per Spiritum S. quod nondum sunt, fiant, i. e. ut gratiæ capaces reddantur. (2) Qui Evangelium peccatoribus hujusmodi prædicat, is *margaritas projicit porcis*, Matth. VII. Resp. Per Evangelii prædicationem omnibus offerenda est gratia: Qui verò oblatam gratiam peccatoribus obstinatis etiâ applicat, is demùm margaritas porcis projicere rectè judicatur Ezech. XIII. 19. Es. V. 20. Vid. Dn. M. Henr. Elmenhorst die wieder die Gesetz. Treiber von Sitt vertheidigte Glaubens. Lehre & nisi displicet, ex nostris, die kurze Wiederholung n. 6. 7. 8. p. seq.

Ad

*An Deus ulli homini, ante finem temporalis vite, terminum salutis
obtinenda peremptorium, ipsi, ad quem pertinet, ignotum,
statuerit; quo elapso, gratia revocans, etiam quæ pri-
mum gradum, eidem penitus subtrahatur, ut nulla
amplius spes, veniam, æternamque vitam
consequendi, super sit?*

NEg. Hæc enim Hypothesis (1) contrahit & restringit *superabundantem & supereminentem Dei gratiam*, 1. Tim. I. 14. Eph. II. 7. quæ nullâ peccatorum quantorumcunque magnitudine superatur aut exceditur, Rom. V. 20. (2) Minuit efficaciam meriti Christi, ut hic non amplius sit *Agnus Dei, portans peccata mundi*, Joh. I. 29. & *propitiatio pro totius mundi peccatis* 1. Joh. II. 2. *qui se dedit redemptionem pro omnibus*, 1. Tim. II. 6. Conf. Es. LIII. 7. Luc. II. 20. Matth. XIX. 11. Excipientur enim, per novellam Hypothesin, quotquot terminum salutis præterlabi fuerunt. (3) Limitat universalitatem promissionum, quod Deus serio velit hominum, sine exceptione omnium, quamdiu vivunt, salutem, 1. Tim. II. 4. 2. Petr. III. 9. (4) Derogat virtuti Verbi divini, quod ex intentione Dei, apud homines quoscunque, *potentia esse debet ad salutem*, Rom. I. 16. Jacob I. 21. (5) Dubium reddit effectum Ministerii Ecclesiastici, quod prædicationem verbi & administrationem clavis solventis: cum ignotum sit, apud quos terminus ille peremptorius præterierit. (6) Præjudicat Baptismo, ne vis ejus per totam vitam duret, & recursus ad illum singulis, qui à fœdere baptismali recesserunt, pateat. (7) Evertit certitudinem gratiæ & obstruit fontem solatii omnis apud tentatos. (8) Reducit Novatianismum in Art. 12. August. Conf. damnatum, in quo memorabilia sunt verba: *De pœnitentiâ docent, quod lapsis per Baptismum contingere possit remissio peccatorum QUOCUNQUE TEMPORE, cum convertuntur.* (9) Contradicit ipsi Spenero, qui in Responso Anti-Stengeriano, quod olim, nomine Ministerii Francofurtani elaboraverat, apud Musæum p. 355. rectè censerebat, *coarctationem divinae misericordiae, esse Scripturæ ignotam: Januam gratiæ patere, quamdiu Hodie est: Hodie autem semper esse, quamdiu vitalis spiritus in homine superest.* (10) Jureconsultis etiam, à quibus peremptorii Termini nomen petitum est, adversatur: utpote ex quorum principiis, Terminus peremptorius in notitiam citati necessario pervenit; secus atque hic fieri perhibetur. Objectionibus solvendis inserviunt observationes sequentes. (1) Non quæritur, an cum vitæ termino tempus gratiæ exspiret; Hebr. IX, 29. sed, an terminus gratiæ peremptorius ante terminum vitæ positus sit. (2) Præfracti peccatores tempus gratiæ, cum tempore vitæ præterlabi sinunt, Hebr. XII. 15. Nullus autem
gratiæ

gratiæ terminus iisdem est positus, quamdiu p. sensus vita durat. (3) Distin-
 gvimus inter terminum salutis temporalis destructivum, quem à Deo in
 poenam quibusdam poni, agnoscimus ex Jerem. VII. 16. XIV. 11. XV. 1.
 Job. XXVII. 9. Mich. III. 4. &c. & inter terminum salutis æternæ omnis-
 que gratiæ exclusivum, de quo jam agitur. (4.) Non confundendæ sunt
 comminationes legales, exitium peccatori conditionalè, videlicet, si in im-
 poenitentia permanserit, denunciante; cum sententia, quæ fingitur perem-
 toria, omnem gratiam absolutè excludente. (5) Decretum damnationis ab
 æterno actualiter conceptum est; non autem objectivè terminatur ad ho-
 minem in viâ; sed in terminò viæ constitutum, i. e. ad finaliter incredu-
 lum. (6) *Incredulus jam judicatus est*, Joh. III. 18. nimirum non absolutè;
 sed conditionatè, si in incredulitate permanserit. (7) Gratiæ œconomia est
 liberai imò liberrima: nobis verò haudquaquam convenit ei terminum in
 Scripturâ non expressum, imò à Scripturâ negatum, affingere (8) Concede-
 mus, ex voluntate Dei consequente dependere decretum, de non dandâ
 majori gratiæ mensurâ, quamdiu minor malitiosè contemnitur: At nega-
 mus, primum gratiæ gradum ita ad voluntatem consequentem restringen-
 dum esse, ut ille actu judiciario ab ullo homine tollatur. (9) Induratio
 est actus justitiæ; sed misericordiâ temperatâ, Rom. II. 4. 5. (10) Iphis eti-
 am induratis remanet tantum gratiæ intrinsicè efficacis, quantum ad vin-
 cendam resistantiam sufficeret: At operatio gratiæ, culpâ induratorum
 propriâ impeditur. Vid. Dissertationes Dn. D. Fechtii & Dn. D. Neu-
 manni, de *Terminò salutis humane peremptoriò*, itemque, quæ auctore Dn.
 M. Johanne Christophoro Rosteuscherò, Ecclesiæ ad D. Mariæ apud nos
 Ministro, die 8. Julii 1700. sub Præsidio meo, à Respondente Bartholomæo
 Hauckio, Stargard. Borussò, ventilabatur, de *Novatianismò & Terminò per-
 emptoriò Gratiæ revocantis*. Optandum, ut Responsa Academica, quæ in
 vernaculâ lingvâ, de eòdem argumentò, nempe Rostochiense 3. Aprilis
 1699. Wittebergensia 7. Novembr. 1699. ac 14. Jan. 1700. reddita fuerunt,
 pro eorum, qui Latini idiomatis ignari sunt, ædificatione, quamprimùm
 typis committerentur. Idem etiam vovemus piis & orthodoxis concioni-
 bus, quæ hac de controversiâ Lipsiæ, (ut cæteros fideles Dei servos tacea-
 mus) à D. Ittigio 25. Aprilis & 18. Junii, præsentis anni, habitæ fuerunt.

Ib. p. 396.

Addenda Articulo XV.

DE GRATIA DEI.

Cum Articulus hicce typis subjiceretur, optabamus, ut nonnulla Termi-
 no gratiæ opposita, quæ ibidem allegabantur, publicam lucem viderent.
 Hoc voto intereà, ultra quam spes nostra se extendebat, potiti sumus. Ex unicâ
 illâ

illâ quæstione, de *Termino gratiæ*, ut fieri in bellis Ecclesiasticis solet, pro-
gnatæ sunt plures aliæ:

An dentur in hac vitâ peccatores simpliciter inconvertibiles?

*An peccator contumax & pœnitentiæ conciones protervè contemnens,
penitus à divinâ gratiâ excludatur?*

*An peccator in Spiritum Sanctum, non solum ab eventu; sed etiam ob
Dei decretum, inconvertibilis dicatur & statuatur?*

*An Deus gratiam suam, in auscultatione verbi salutari necessariam,
contumacibus peccatoribus subtrahat, eosque omnino deserat?*

*An Deus Pharaonem, Judam Ischariothen, filios Eli &c. in sensum re-
probum datos, ante excessum è vitâ, omni gratiâ ex justo iudicio privave-
rit, æternoque supplicio devoverit?*

An Hebr. III, 7. 8, de Termino quodam peremptorio agatur?

*An dicta Scripturæ 1. Tim. II. 4. 2. Pet. III. 9. non nisi limitatè uni-
versalia sint, & ad solos pœnitentes pertineant?*

*An Christus Matth. XI. 28. gratiam suam non omnibus simpliciter, sed
iis tantum, qui onus peccati sentiunt, eoque levari cupiunt, promittat?*

*An ad profligandam securitatem piè doceatur, Deum in hac vitâ gra-
tiæ ostium multis sic occludere, ut nulla illis veniæ aut misericordiæ recu-
peranda spes supersit?*

Prodierunt autem, præter nomina antehac laudata, hæcenus *Lipsiensium* (sub
Decanatu Carpzoviano, ut & *Witebergensium* ac *Rostochiensium* Respon-
sa. Dn. D. Itrigii *Predigt von JESU dem guten Hirten/ samt einer Ver-
theidigung/ der biß an den Todt offen stehenden Gnaden-Thür; Antw.
auf D. A. N. erste vierte und fünffte Beylagen; Refutatio disputationis
de statu Induratorum; Epistola ad Auditores, quâ prælectiones de
statu Induratorum vindicantur. Dn. D. Hanneckenii Disputatio de Pœ-
nitentiâ seriâ, nunquam serâ; Ductus Veritatis, ad declarandam incessan-
tem gratiæ invitationem; Meditatio Carolina, ad cavendum corrigendum-
que periculosum errorem, de termino gratiæ; Gründliche Untersuchung
etc. Dn. D. Joh. Georgii Neumannii *Status controversiæ, in hypothesis de ter-
mino salutis; Erörterung in der Frage etc. de Praconio Legis & Evange-
lii assiduè conjungendo. Predigt Dom. 22. post Trin. daß den beharrlich
verstockten Sündern die Gnaden-Thür nicht verschlossen werde. Dn. D.
à Krakewitz Untersuchung der Lehre von dem Termino. Item Antwort
auf D. A. R. dritte Beylage. Dn. D. Grapii *Buß-Predigt von der versäu-
meten Gnade Gottes. Dn. M. Weissii Ecclesiast. Lips. Untersuchung der
Lehrer von dem Termin der Gnaden-Zeit. Dn. M. Christ. Martini Seel-
mans***

mans *Terminus peremptorius exterminatus*, bey einem von *Stad und*
Schwerdt gerichtetem armen Sünder. Dn. M. Johann. Henr. Oders, Ar-
chidiaconi Soraviensis, *Wahrheit auff Lügen/wieder den Hallischen Vor-*
bericht. Inter *avēdors* clathros mordet atq; à venerando Autore, pluri-
mis jam Theologorum exterorum precibus fatigato, veniam prodeundi
expectat doctissimus commentarius Dn. D. Andr. Kühnii, die *Gründliche*
Erörterung. Cui Dn. M. Rosteuscherus simul ac cum sanitate (quod Boni
quique vovent) in gratiam plenius redierit, *Apologiam suam*, ultimæ ad-
huc limæ indigentem, ut speramus, subnectet. Tubingæ etiam Dn. D. Mul-
lerus, Academiae Cancellarius, *Pœnitentiam Indurati*, in publicâ disputati-
one, asseruisse perhibetur; quam consequi nobis nondum licuit. Brevi
denique, quod ominamur & vovemus, *Rostochiensium vindiciis*, adjuncto
collegiorum Academicorum ac Presbyteriorum, in regnis Septentrionali-
bus, atque ad Balticum mare consensu antiterminifico, controversiæ huic
(quod benignissimum Numen faxit) extremam manum imponent.



